

tur, ipsam naturam ab operatione sua palam est defecisse. Ars etenim naturam, adiuvento naturæ nonnunquam corrigit, supplet, & quodammodo (præsertim in hac magnifica mineralium rerum diatriba) superare videtur. Quod à priscais illis Philosophis iam dudum in memoriam est consecratum. Duo sunt Philosophorū genera. Quidam naturam, duntaxat per se inuestigantes, virtutem ac potentiam quam habent res sublunares, tum ab elementarijs qualitibus, tum à cælo & stellis, literarum monumentis tradidere, vt sunt Medici: Et quidam alij, qui animantium naturas, arborum, herbarum, metallorum & lapidum preciosorum descripserunt. Alteri longè quidem splendidiores, non solum naturam, sed ipsum denique naturæ arcanum, eiusque penitiora adyta, sagatissimè ac argutissimè penetrantes, veriori vocabulo Philosophi nomen sibi vsurparunt. Sed quia natura ex duobus sulphure & Mercurio cuncta producit metalla, nobisque superiora corpora ex eis generata cum inferioribus reliquerit, certum est, diligentes eadem ex tribus suis operationibus conficere, & inferiora corpora ad naturam & perfectionem corporum superiorum deducere posse.

*Refellit opinionem quorundam in hac arte, & ponitur ars Philosophica verbis paucissimis.*

C A P. III.

Et quoniam apud plerosque Philosophiæ studiosos concessum est, ipsa metalla sulphure & Mercurio generari, arbitrati sunt nonnulli, sulphur & ♀ cum sint metallorum radix & materia, accipi debere, & tantisper decoqui, donec in corpus metallicum essent conglutinata. Isti quidem si profundius in naturæ sanctuariū descendissent, ad huiusmodi stolidas opiniones neutiquam deuenissent. Quamuis enim sulphur & ♀ quodammodo metallorum radix ante primam coagulationem fuerint, modò tamen non sunt, cum ad aliam naturam sint deducta: vnde relinquitur, ex ipsis non posse fieri aliquod corpus metallicum. Cum item ignoretur vinculum, quo Venus & Mercurius in debita proportionem